

quod proposuerit filium propitiatorem, in-  
terueniente ipsius sanguine, inde usq; facta in  
paradyso, Semen mulieris conteret caput ser-  
pentis, & nulla alia unquam satisfactione uo-  
luerit placari, & quod multa patientia tule-  
rit, ac nunc ferat peccata furentis mundi, ut  
demonstret iustitiam suam in seruata promissi-  
one de filio futuro uictima, & ut ipse sit iustus  
& in puniendo peccato per mortem filij, &  
in iustificatione peccatorum per fidē in Chri-  
stum, iuxta suam promissionem.

Agnoscamus igitur nos esse iniustos, & se-  
ueritatem iustitiae Dei erga peccatum metua-  
mus, fateamur nos esse reos, & indigere Deo  
nos iustificante per propitiatorem, hunc eti-  
am amplectamur, & iustitiam nobis oblatam  
in sanguine ipsius per fidem ad nos applice-  
mus, & hanc ostensionem iustitiae Dei ostenda-  
mus nostra confessione & prædicatione gra-  
tuitæ misericordiæ. Confiteamurq; cum Da-  
uide & Daniele omnium hominum iustissimis:  
**Tibi domine** tantum sum peccator, **Tibi iusti-**  
**tia,** nobis autem confusio faciei.

Detrahit enim Deo gloriā donatæ iustitiae q  
contendit se esse iustum corā Deo ppria uir-  
tute, sicut Paulus sonantibus uerbis ait: Ut sit  
ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide  
Iesu. Ut enim solus Deus bonus est, ita solus De-  
us iustus est. Omnes homines sunt natura &  
re ipse